



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 590. An, si beneficiarius expendit post habitum beneficium in sui sustentationem bona sua patrimonialia, possit dein ex redditibus sui beneficii non superfluis id recompensare, tantundem ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

meliorando prædia ad illud pertinentia, ea melioramenta teneatur quoque erogare in pauperes vel causas pias, ut insinuat Pirh. *h. t. n. 24.* nec posse ex inde lautius vivendo illa absumere, aut aliter etiam per ultimam voluntatem disponere; aut etiam relinquere Ecclesiæ, repetendo æstimationem expensarum; quia iste casus perinde se habet, ac si ex dictis redditibus emisset alia bona; adeoque debere absolute relinquere Ecclesiæ, in qua est beneficium melioratum, quæ deinceps; si collatrix est ejus beneficii, ipsa conferre, vel si alius collator, permittere, conferri illud suo nomine sic melioratum successori in eo beneficio. An vero ipse meliorans ex eo tantum annuè assignare possit pauperibus, quantum correspondet dictis melioramentis, aut etiam exactam ab Ecclesiâ æstimationem expensarum largiri pauperibus, merito dubitari potest; cum beneficium unà cum accedentibus & veluti incorporatis ei melioramentis spectet ad Ecclesiam, de cætero contrarium dicendum; nimirum posse beneficiatum tempore vitæ suæ frui dictis melioramentis, etiam lautius, proportionatè tamen ad ea, inde vivere, etiam postquam beneficium dimiserit, ut Pirh. *h. t. n. 14.* relinquere tamen ea Ecclesiæ, si melioraverit illud ex bonis Ecclesiasticis seu beneficii sui, si non superfluis partibus vivendo, vel etiam industria sua, quin & si melioraverit illud ex bonis propriis & patrimonialibus suis, repetere poterit ipse aut hæredes ejus melioramenta aut æstimationem expensarum in ea, nisi appareat beneficiarium animo donandi Ecclesiæ meliorasse. Pirh. *h. t. n. 14.* citatis Abb. *in c. ult. h. t. n. 5.* Barbos. *ibid. n. 2.* Laym. *in disq. can. de bon. Eccl. alien. th. 118.*

Quæst. 589. An qui malè donata sibi ex superfluis, quæ beneficiarius impendere debebat in pios usus accipiendo peccet.

Resp. Dubium non esse, quin talis sciens sibi donari ex superfluis acceptando peccet in sententia eorum, qui tenent beneficium non esse superfluum dominum, & consequenter invalidè donare eum; cum talis peccet contra Justitiam accipiens sine titulo rem alienam à non potente eam alienare, unde & tenebitur ad restitutionem ratione rei acceptæ & injustæ acceptionis, de Lugo. *d. 4. n. 48.* In sententia verò illorum, qui tenent esse illos eorum dominos, & posse illorum dominium transferre, probabilius videtur, accipientem non peccare mortaliter, saltem ubi non perit, aut inducit ad donandum, & ubi donans ex ea donatione non redditur impotens tantundem exponendi in causas pias, dum aliunde nimirum donatorum loco alia subrogando potest subvenire causis piis; cum donatarius tunc non cooperetur peccato, uti putat Sanch. *conf. mor. L. 2. c. 2. du. 38. n. 14.* & ideo censet contra-

rium; quia peccatum ex parte donantis jam consummatum est per ipsam donationem, & acceptatio, quæ consequitur, ex parte accipientis non dat occasionem illi obligationi, quæ donans obligatur tradere rem, sed solum perficit donationem, ut cum effectu transferatur dominium. Lugo. *n. 50.* qui etiam *n. 49.* quòd etiam per talem donationem redderetur impotens ad satisfaciendum præcepto expendendi superflua in pios usus, non tamen facillè accipientem damnandum peccati, quòd probat ex eo, quòd tradit Less. *L. 2. c. 20. du. 19. n. 168.* quòd qui accipit à fure, non quidem res furtivas & quarum dominium non habet, sed alia, ita tamen, ut dando fiat impotens solvendi illud, ad quòd ex Justitia tenetur, non peccet contra Justitiam vel caritatem, quia non est causa, cur ille peccet, dum illum ad hoc non inducit; cum utatur jure suo, & neque Justitia, neque caritas postulet, ut negligat quis suum commodum, etsi exinde per accidens sequatur tantundem damni alteri, ut Molin. *Tom. 2. de jur. d. 328. n. 10.* Per. Nav. *L. 3. de rest. c. 4. n. 218.* apud eundem de Lugo. Eadem locum habere videntur in sententia eorum, qui tenent beneficium teneri ex Justitia superflua applicare causis piis, dum dominium eorum habet, etsi validè illud transferre potest in alium omiſſa causâ piâ.

Quæst. 590. An si beneficiarius expendit post habitum beneficium in sui sustentationem bona sua patrimonialia, possit dein ex redditibus sui beneficii non superfluis id recompensare, tantundem accipiendo & impendendo in usus quosvis.

Resp. Quamvis affirmativa, quam tenent apud de Lugo. *d. 4. n. 44.* Molin. *d. 145. col. 1.* Less. *l. c. c. 4. du. 6. n. 38.* Sanch. *l. c. du. 38. n. 15.* Azor. *p. 2. L. 4. c. 9. q. 10.* Bonac. *d. 4. de obl. insum. fruct. p. 2. n. 5.* cum aliis, quos citant hi AA. sitque ferè communis ex ea ratione, quòd illos sumptus in sui sustentationem facere poterat ex redditibus beneficii, servando patrimonialia ad usus liberos; unde præsumendum non sit voluisse illos se hac libertate sua privare, sed potius eam voluisse retinere. Verumtamen limitationem quam adhibent suæ sententiæ hi AA. dum nimirum volunt eam solum procedere, quando talis insumens sua patrimonialia non habuit animum non compensandi, improbat & inconsequentia arguit de Lugo. *n. 45.* dicens se non videre, cur, si possit hanc compensationem facere, dum non habet animum non compensandi, non etiam possit eam compensare etsi habeat animum non compensandi, quòd fusè declarantem sequentibus *num.* vide.

Plura, quæ huc reduci possunt, *seq. tit. de restam. tractata* invenies.